Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

carnis sit fortitudo fragilium. contra mundi pericula sit firmamentum. contra supplantatorem diabolum sit abolitio scelerum. Oportet ut succurrat miseris et fragilibus, iuvet pusillanimes in mundi huius procellis et fluctibus, refoveat flebiles pressos peccatorum ponderibus. Fortasse hoc idem verbis angelice visitationis que utique ob hoc ipsum fidelibus usitatissima est insinuatur. Ave Maria gratia plena. Maria enim syriace domina, latine stella maris interpretatur. Domina dicitur quia contra ancille superbientis, id est carnis, importunos mores ut motus opitulatur. Stella maris nuncupatur quia in huius mundi tempestuoso mari contra adversa et prospera suffragatur. Gratia plena, id est septiformis spiritus sancti donis habundare dicitur: quia contra septem vicia succurrit que a diabolo immittuntur. Seorsum ergo quosdam sibi servientes et sua ope innocenter viventes remuneraverit, seorsum quosdam in adversitate iuverit, seorsum quosdam in viciis lapsos restituerit collige, et gratam mihi melliti sermonis refectionem infunde.

Martha.

Quamvis quidem sub tribus distinctionibus dicendi modum ordinemque prefixisti, prime modo distinctionis aggrediar executionem, et nunc quidem de beato Hildefonso contexam narrationem. Hic domino dignus Toletane sedis archiepiscopus meritis ac perfectione prelectus dei matris et virginis, que eum sibi fidelem cohesurum previdit, a primis annis religionis amator et executor erat precipuus. Iam vero episcopus constitutus pontificia auctoritate et gratia plenus erat, quin et honoribus infula per quam alii sublimari se vident, ipse potius sublimium morum schemate decorabat. Illud autem inter cetera eius insignia preminebat quod sanctis dei continuus precibus humili et supplici devotione deferre solebat. Precipue ad gloriosam matrem et virginem totum se huius sancte intentionis studio contulerat, perfecto recolens quod singulariter salus sua in eius constaret presidio, per quam toti mundi potuit instaurari redemptio. Propterea ut videlicet omne latus sue in eam devotionis inmobiliter constitueret. Sic erat scientie et eloquentie donis non mediocriter preditus. De eius sanctissima virginitate insigne volumen edidit, et quali intus quidem dilectione domine celestis affectu flagravit, tali et foris effectu comprobavit. Cui tam assiduam et promptam alacritatem sancta dei genitrix se benignam intueri per se ipsam ei ostendere dignata est. Apparuit siquidem ei egregia quedam domina forme elegantis, venerandi habitus, cuius tam perspicaces oculi, tam vividi vultus, tam nitidi decoris erant vestimenta, ut nec hominum quam ipsa mater luminis fore evidentissime nosceretur. Et primum stupenti deinde agnoscenti librum quem ipse ediderat protulit, et multas habeas gratias propter tam vigili sollicitudine et impenso inmense studium sibi ut diceret non inconveniens iudicavit. Ita sane sue presentie et gratie commonito eo et de se fiduciam adepto, subito ab oculis aspicientis evanuit. Ille post eiusmodi consolationem qualiter iam se multo amplius adhuc se benedicte accipientis domine obsequio inpenderet sollicita indagine cogitavit. Et excogitato consilio per omnes sue dyoceseos ecclesias festum annunciationis dominice VIII. die ante natalem dominica sollempnitatem, id est XV. Kal. Ianuarii celebriter agi instituit; atque ut constitutioni huic assensus subditorum sponte accederet, eum exempli rationis et auctoritatis inductione invitavit. Etquidem per exemplo erat in multis id ecclesiis agi, ut quando suo tempore festum hoc propter passionem domini celebrare non sinitur, adhunc diem eius celebritas transferatur; per rationem autem quod pulchre et competenter festo nativitatis conceptionis sollempnitas preminet; per auctoritatem vero quod id quoque quodam eiusdem concilii capitulo decerneretur. Tum deinde quod huiusmodi assertionibus iustum et rationabile comprobavit observandum, deinceps per sacerdotali potestate confirmatum. In hunc modum fidelis servus domine singularis honorem diligenter veneratione consuluit, obsequio militavit. Sed et piissima domina vicem beneficientie et gratie secundum devotionem eius ex equo comparavit. Apparere siquidem ei sedens ipse altaris crepidinem in pontificali sede dignata est. Ad quam dum venire iussus reverenter accederet, ipsa sedem et insuper vestem sacerdotalem que usualiter alba dicitur ei tradidit, quam se ei de paradyso dei detulisse asseruit. In hac inquit kathedra in qua tu sedens visa sum sedeas, et veste hac circumdatus in festo filii mei et meo festivus appareas; sciens quod si quis preter te ornatu hoc usus fuerit, sine dubio sententie presumptoris subiacebit. Hec dicens relictis ei in manibus que attulerat, coram oculis colloquentis et gratias agentis disparuit. Verum dei famulus eas res quibus honoratus fuerat a regina celi in sollempnitatibus ut quandocumque eum festivum procedere loci sui dignitas expostulasset usque ad felicem vite terminum sicut iussus fuerat habebat. Iam vero transiturus ne his post se uti quisquam presumeret, cum divine ultionis interminatione prohibuit. Quo migrante quidam Siagrius decessoris sui meritis longe impar in cura regiminis subrogatur. Hic superbus et temerarius sicut paulo post finis declaravit, data ac prohibita divinitus sedem scilicet ac investitam quasi licenter usurpavit. Nonne autem canonice institutus electionis ac consecrationis gratiam ac gradu secundum ecclesiastici iuris